

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0294

0292

0298

0288

282

subtraxerat. Alexandrini autem, cum nullo pacto Christianis subjici vellent, Almarico se hac conditione commisere, ut pulso tyranno in Soldani potestatem per suas manus reducerentur. Almaricus itaque accepit a supradicto Soldano quadraginta aureorum millia et expulit Syracanum ab Aegypto et Alexandriam Soldano restituit. Et fuit foedus pacis firmatum inter regem Aegypti et regem Jerusalem, et si foedus illud servatum fuisset, nemo regnum Jerosolymitanum umquam molestasset. Sed serpens antiquus, qui seminat inter fratres discordiam, Almaricum et Soldanum dissolvit. Percepit enim rex Almaricus, quod Soldanus occultum tractatum haberet cum Syracano, tyranno Turcorum, quem nuper ab Aegypto fugaverat, unde collecto exercitu descendit per desertum in Aegyptum et captis aliquibus Aegypti oppidis Chayrum urbem regiam potentissimamque obsedit. Soldanus autem regis animum pecuniarum cupidum promissionibus enervavit infinitam pecuniam ei tradens. Nam, ut dicunt aliqui, aureorum vigesies centena millia, quod vix Aegypti regnum persolvere posset, promisit, in promptu tamen ei dedit centum millia aureorum, ut a se recederet. Accepta autem pecunia solvit obsidionem a Chayro et circa hortum balsami castra constituit et ordinatis agminibus in propria rediit et tam Aegypti quam Damasci reges inimicos habuit.

Post haec imperator Graecorum de Constantinopoli cogitavit, Aegyptum suo imperio jungere, et classem magnam, in qua centum quinquaginta erant rostratae naves et onerariae LXII, misit in Syriam et dominum Almaricum regem Jerusalem in adjutorium advocavit. Descenderunt ergo cum copiis terrestri et marino itinere in Aegyptum et Damiatam obsederunt, sed nihil proficere poterant et ita non parvo nocturno accepto ad propria redierunt.

Surrexit etiam rex novus in Aegypto fortunatissimus, Saladinus dictus, saepe in sequentibus nominandus, et omnem progeniem Caliphae et regum gladio transverberavit et tam Aegypti quam Syriae regna possedit, nec quievit in diebus suis, quousque quantocius orientis dominium usurparet. Erat enim vir acris ingenii, in armis strenuus, consilio altus, liberalis supra modum, maxime in viros militares, in quos omnia

Ende

Anfang

